

et potus novo parochus ad minus per quatuor primos menses, de quibus omnibus in unaquaque parochia inventarium conficiebatur.¹⁸² Sicut hic conventus similiter et alii faciebant.

Unde nihil mirum si Franciscani ad suum jus in fundatione et erectione parochiarum reclamant. Hic quaedam exempla erectionis parochiarum exhibemus, ut statim appareat omnes condiciones pro erectione parochiae formalis observatas fuisse.

Ita episcopus Miletić a. 1815 facto consilio cum superioribus provinciae in parochias formales cum omnibus praerogativis parochiarum erigit villas de Garevo et Narenta.¹⁸³ Episcopus Barišić a. 1838 protestatur se facultate a S. Congregatione obtenta cappellanas dictas, quia omnes condiciones ad hoc adsunt, in parochias formales erigere, ac obligationes novis parochis praescribere.¹⁸⁴ Ilijić et Barišić paroeciarum in erectione toties quoties facultatum a S. C. de Propaganda fide obtentorum mentionem faciunt. Dum econtra Provicarius Karačić, qui erat simplex sacerdos, obtinuit generalem facultatem a Pio IX parochias erigendi, ad quam, in quolibet casu erectionis parochiae vel cappellaniae localis, provocat.

Sic v. g. anno 1853 a parochia Tolisa dividit villas Grebenice et Bazik ac easdem parochiae de Tišina incorporat; item villas Kopaonice, Vučilovac et Jenjić a parochia Tolisa dismembrat ac in cappellaniam localem constituit; fa-

¹⁸² Arch. Con. Guča-Gora, Prospectus summarum... Hunc prospectum expensarum »a. 1882 mense junio, fideliter quantum fas fuit« ex documentis collegit fr. Marianus Marković. Conventus Guča-Gora inter 1856—1860 aedificatus fuit. Ideo, ne cuiquam confusum videretur dictum praedictas summas 55 annorum spatio insumptas fuisse, oportet hic adnotare, quod id intelligi oporteat de summa pro parochiis de Guča-Gora spatio 55 annorum avulsis, a Conventu Fojnicae (postea vero ipsius Guča-Gora) expensa.

¹⁸³ »Item in eodem capitulo ex instantia Illmi ac Rmi Dni Ordinarii nostri fratris Augustini Miletich, episcopi Dauliensis ac Vicarii Apostolici in his sacris missionibus, declaratae fuerunt duae novae paroeciae cum omnibus praerogativis ceterarum paroeciarum«. Arch. Provinciae, Sarajevo, Prot. Prov., II, 396.

¹⁸⁴ Arch. Provinciae, Sarajevo, Epistola erectionis.